

aere perseverant clarae. Verum etsi aer habeat vim corrumpendi urinas, tamen quae crassiores sunt, A  
 citius id patiuntur quam tenues. haec enim diu manent incorruptae, quoniam heterogenias multas non  
 habent partes quae facilius confusionis sunt causae. Errat ergo Galenus, Montanus, & alij omnes,  
 quum ex huiusmodi conturbatis urinis ab aere, dicunt coctiones, cruditates & corporis dispositiones  
 ostendi. Quod si quis Montanum legat, ubi causas talis urinae explicat, nihil aliud quam verborum  
 inanem quandam volubilitatem inueniet, & corruptum quoddam iudicium, quum censet ex corruptis  
 extrinsecus urinis melius agnosci posse corporis affectus, quam si igni admoueantur, & recipiant eum  
 quem habebant prius, quum mixtae fuerunt, colorem, consistentiam, splendorem, opacitatem & alias  
 conditiones. Quod quia quotidiana docet experientia, pudet me diutius in tam ridicula opinione  
 versari. De crassis vero & confusis urinis mictis, & postea extenuatis & clarificatis, alia est ratio: haec  
 enim possunt ex eo quod extrinsecus acquirunt, corporis dispositiones ostendere, quoniam extenua-  
 tionis & claritatis causam a corpore duxerunt. Nam quum essent heterogeneae partes inter se confu-  
 sae ob motum caloris, ubi paululum quieuerunt & refrixerunt crassae partes; si separentur, ostendunt B  
 iam aliquam factam esse concoctionem, sit enim haec in crassando. Quod si multa adhuc sit separatio;  
 ostendunt tamen iam aliquam fieri mixtionem partium diuersarum, quod in urinis tenuibus, aquosis,  
 & lucidis nequaquam fit: & ob id certe Galenus primo de Crisibus has illis longe deteriores censet  
 esse. Ergo urinae quae crassae fiunt, vel potius confusae & conturbatae, causam non habent in corpo-  
 re; & propterea nihil de corpore ostendere possunt. Quod vero dicit, urinas quae semper manent  
 turbidae, ostendere agitationem quae viget in sanguine; nec id veram, nec certe immediatam causam  
 docet. Nam ubi maior vigere potest agitatio quam in febribus ardentibus, ubi vehemens est calor &  
 materia, qui omnium motum & agitationem ob sui tenuitatem pati potest? at non semper, imo ra-  
 rissime, in illis fiunt urinae subiugales & confusae. Causa etiam non satis nota est, quum scribit inae-  
 qualem adhuc manere turbulentiam, ubi urina subiugalis mingitur quae postea clarescit. Quid enim  
 per inaequalem turbulentiam intelligendum sit, non ponit. Quod si intelligitur animus, tamen non  
 quiescit donec intelligat, quid eam inaequalem turbulentiam pariat: siquidem contra illud pugnandum C  
 est, si sanitas & meliores urinae fieri debent. Adde, quod alibi alias causas harum urinarum quae turbi-  
 dae, confusae & subiugales dicuntur, Galenus adferat. Nam in 28. text. primi Commentarij Pro-  
 rhet. ait urinas turbidas fieri ob copiam crudorum humorum uel coctorum, uel in flatum conuersio-  
 nis fieri ex colliquatione: & ait fieri ex fusione crudi uocati humoris fusi, & ex fusione ipsius, genera-  
 tis multis exhalationibus: quam causam confirmat quod tales urinae dolorem capitis praedicere solent.  
 Ergo nunc ebullitionem solam nunc crassorum, nunc coctorum humorum, nunc flatum ex humori-  
 bus crassis eleuatos nunc crudum uocatum humorem huius turbulentiae causam esse ponit. nec intro-  
 rum docet, aut aliquis intelligere potest, cur istae causae esse possunt, nimirum quia immediatae causae  
 turbulentiae & opacitatis nequaquam sunt ab eo ostensa. Auicenna turbulentiam dicit fieri ob per-  
 mixtionem partium habentium colores extraneos, ut fuscus, aut alijs coloribus infectos. Sed doctere  
 debebat id fieri in urinis, quod non apparet in subiugalibus, nulli enim apparent in illis urinis uarij co-  
 lores. Ego uero opacitatis & luciditatis siue perspicuitatis uideo non unam esse causam. Nam quae  
 dam fiunt opacae ob mixtionem terrenae substantiae, etenim terra ipsa opacissima res est: & propter ea  
 quae terrenam substantiam & crassam in se recipiunt, merito sunt opaca: unde aer magis quam aqua  
 perspicuus, quia tenuior & magis a terrenis crassitie recedit: & ignis magis quam aer, & sidera magis  
 quam ille; quia crassitiam omnem respuunt. Alia uero est opacitatis causa, materiae impuritas. Nam  
 etsi omnes lapides ex terra sunt; qui tamen ex depuratissima terra constant, sunt perspicui, ut rubini,  
 adamantes, saphiri, & alij uocati lapides pretiosi: sic crystallus & uitrum etsi spissa sunt, & forte terre-  
 na; tamen quia nitidissimam & purissimam habent substantiam, nullam opacitatem sed omnem perspi-  
 cuitatem obtinent plus uel minus, prout ex sinceriore & puriore materia constant. Non etiam alie-  
 num est a ratione, credere aliqua fieri opaca quum habent extraneos colores: ita enim uitrum uiride  
 quum recipiat alium colorem quam proprium, opacius redditur, color enim colori superinductus opa-  
 citatem facit. Sunt etiam lux, lumen sua praesentia & absentia luciditatis & opacitatis causa, nam si aer E  
 suapte natura diaphanus est, tamen in priuatione solis & luminis opacus redditur. Aliam uero esse  
 causam luciditatis calorem, & opacitatis frigus, si modo res quae calefiunt & refrigerantur, consent ex  
 partibus diuersis: alioquin tam calor quam frigus maxime perspicuas res pariter reddunt. Sic enim  
 uidemus in uehementi solis ardore caliginem omnem & uapores, qui solent misceri cum aere, dissecuti,  
 aerem purum reddi, & illum maxime diaphanum. Eodem pacto in aere frigidissimo, spirante Borea, si-  
 milis quoque est aer, quia nulli uapores crassi ex terra & aqua attolluntur: & si qui assurgunt, eos res-  
 pellit, nec cum aere misceri sinit. Urinae uero quae in aere frigido corrumpuntur, & calore ignis clares-  
 cunt, satis ostendunt res ex diuersis partibus constantes frigore fieri obscuras, & calore cla-  
 ras. Et ut externus calor, ita & internus suapte natura luciditatis est causa, si ualidus sit: alioquin  
 si imbecillus extiterit, frigidi iam rationem habet, & propterea ille urinam purificat, extenuat, aeream  
 reddit